auxilio consequi sperant triumphum. Cum vero non
possent ad terram applicare naves propter aque
paucitatem, quidam fidei fervore cum armis in
aquam se mittunt, resistentibus paganis lanceis
et sagittis, quibus magis angetur quam terretur
fidelium audacia, ita ut territi inimici ad civi-
tatem confugerent percussique divino timore
et civitatem incenderent et nocte fugientes relin-
querent christianis. Ibi estate tota rex cum exercitu
immoratus est. expectans decrescentiam fluminis,
ut terram commodius debellarent. Tandem XXVII.
die Novembr. exercitus christianus contra Sarace-
norum exercitum de Damiata recessit, qui erat
in loco dicto Marsora; in qua via audit Soldanum
mortuum, cuius filius, qui morabatur in orientali
parte, expectabatur. Non potuit autem christi-
anus exercitus ad Sarracenos accedere propter
flumen Thanneos intermedium. Inter utrumque
igitur flumen castrametati sunt. Factis interdum
insultibus paganorum multitudo interiit gladio et
Nili fluvio, ubi multi submersi sunt. Attendant
christiani supra fluvium Tanneos edificare
pontem. Contra Sarraceni cum machinis et armis
impediunt. Tandem quidam Sarracenus, qui ad
exercitum venerat, vadum dixit esse inferius.
Inde transeunt christiani non sine periculo na-
tantibus equis ripisque male dispositis. Deinde
facto congressu multi trucidantur Saracenо-
rum eorumque capo Tanneos. Non multi usque
ad civitatem Mossora eos sequendo insecuntur.
Finaliter Sarraceni considerato eorum ordinato
processu, resumptis viribus irruerunt in eos et
undique valenter oppresserunt. De ipsa quoque die
Sarraceni super nostros undique confluxerunt,

+ tme c.

x sup a

y nros c.